

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XVIII - N. 2

1986

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA Pio XII, 10 - 00193 ROMA

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 1986

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Epistula a Summo Pontifice Episcopis Civitatum Foederatarum Americae septentrionalis in coetu coadunatis missa	259
--	-----

ALLOCUTIONES

Ex homilia Summi Pontificis in stadio nationali (Singapore)	264
Ex homilia Summi Pontificis in sollemni concelebratione eucharistica apud « National Exhibition Centre » (Canberra)	266
Ex allocutione Summi Pontificis occasione visitationis « Parliament House » (Canberra)	268
Ex homilia Summi Pontificis in sollemni concelebratione eucharistica apud « Victorian Racing Club » (Melburnii)	270
Ex allocutione Summi Pontificis eos, qui conventui nationali studii ab « Unione Giuristi Cattolici Italiani » celebrato interfuerunt, coram admissos	274

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Lettera al reverendo Charles Curran	276
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus Studii « De Laicis » (Sessio IV)	279
II. Coetus Studii « De Laicis deque Associationibus Fidelium » (Sessio V) . .	322
III. Coetus Studii « De Christifidelium Iuribus et Associationibus deque Laicis » (Sessio VI)	365
Nota: De itinere laboris Coetus Studii « De Laicis »	406

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	408
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	410
Index rerum generalis	411

II

COETUS STUDII « DE LAICIS DEQUE ASSOCIATIONIBUS FIDELIUM »

Sessio V

(diebus 28-31 ianuarii 1970 habita)

Diebus 28-31 ianuarii 1970, in Aula huius Pontificiae Commissionis Consultores convenerunt Coetus studii « De laicis deque Associationibus fidelium », sub directione Rev.mi Secretarii Adjuncti Commissionis. Conventibus intererant decem Clarissimi Consultores. Actuarii munere functus est Rev.mus Herranz, a studiis Commissionis.

Quaestio generalis in hac sessione pertractanda haec est: perpolitio schematum quae in praecedentibus sessionibus studii discussa et approbata sunt, quaeque adhuc perfici possunt, sive quoad redactionem canonum sive quoad eorum ordinem in singulis schematibus.

Transitus ergo statim fit ad examen prioris schematis.

I


STATUTUM FUNDAMENTALE OMNIUM CHRISTIFIDELIUM

Est Consultor qui quaerit ut principium quoddam de communione ecclesiastica seu de communione cum S. Hierarchia in exercitio iurium et officiorum enuntietur, his vel similibus verbis:

« In exercendis iuribus sive officiis in Ecclesia agnitis, cuncti christifideles servare tenentur vinculum ecclesiasticae communionis canonicam adimplendo legislationem vigentem ».

Quoad substantiam fere omnes Consultores huic propositioni accedunt. Quidam Consultor censet hanc normam aptius forsan ponendam esse in Lege Ecclesiae Fundamentalii. Alii Consultores diversas proponunt formulas, hic vel in Lege Fundamentalii ponendas:

« Cuncti christifideles sciant se ligari vinculo Ecclesiasticae communionis » (Unus Consultor).



« Omnes christifideles in suis actionibus debent esse in communione cum Ecclesia » (Quidam Consultor).

Requiratur etiam — ait Ill.mus alter Consultor — elementum internum communionis. Attamen animadvertisunt Rev.mus Secretarius Adiunctus cum duobus sociis quod si deest interna communio de hoc ex externis quoque elementis iudicare debet Hierarchia.

Fit adhuc parva discussio de hac quaestione, et in fine sequens proponitur formula a Rev.mo Secretario Adiuncto: « Omnes christifideles obligatione tenentur curandi ut communionem semper servent cum Ecclesia, his quidem in terris a Successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata ».

Unus e Consultoribus quaerit ut hic vel in alio canone quaedam dicantur circa adscriptionem uniuscuiusque fidelis in coetibus ecclesiis, qua adscriptione proprium Ordinarium acquirunt. Formula quae ab eodem Rev.mo Consultore proponitur ita sonat: « Modo in legibus determinato, cuncti christifideles ecclesiis particularibus sive quibusdam religiosis Institutis adscribuntur, quo proprios acquirunt Ordinarios pastorale regimen in illos, Christi virtute, exercentes ».

Consultoribus placet quoad substantiam haec propositio. Censem vero expungendam esse in formula referentiam ad Instituta religiosa, quia ipsa Instituta, licet in quibusdam a iurisdictione subtrahantur Ordinarii loci, proprium populum seu propriam « partem populi Dei » in qua curam pastoralem exerceant non habent. Ergo non possunt dici Ecclesiae particulares.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit sequentem formulam canonis, qui ponendus est in nostro schemate immediate post can. 3:

Canon 3 bis

« § 1. Baptismate irrevocabiliter in Ecclesia Christi incorporati cum sint, christifideles obligatione tenentur curandi ut, agendi ratione quoque, communionem semper servent cum eadem Ecclesia, his quidem in terris a successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata.

§ 2. Magna cum diligentia officia adimpleant canonica quibus tenentur non tantum erga Ecclesiam Christi universam, sed etiam erga Ecclesiam particularem ad quam, secundum iuris praescripta, pertinent ».

Proponentibus Tribus Consultoribus, deletur in § 2 verbum « canonica », quia alia etiam sunt officia quibus christifideles tenentur.

Facta suffragatione hic textus ab omnibus recipitur, cum supra-dicta emendatione in § 2.

Transitus fit deinde ad examen animadversionum quae fiunt quoad singulos canones statuti fundamentalis omnium fidelium in Ecclesia.

Ad can. 1

Exc.mus Consultor proponit sequentem emendationem textus, qui prout nunc iacet — ait idem Exc.mus — valeret tantum de christifidelibus in vita Ecclesiae active participantibus.

« Nomine christifidelium ... statum, *ad missionem quam Deus Ecclesiae suae in mundo adimplendam concredidit exercendam vocantur* ».

Est Ill.mus Consultor qui ex parte sua proponit ut loco « proprium statum » dicatur « propriam condicionem iuridicam ».

Facta suffragatione, eae duae propositiones ab omnibus approbantur.

Ad can. 2

Ill.mus Consultor de quo supra animadvertisit, quoad § 2, iura fundamentalia personae non admittere renuntiationem. Respondet tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus, et huic responsioni Consultor citatus accedit, quod non dicitur in canone religiosos renuntiare iuri-bus fundamentalibus, sed tantum exercitio quorumdam iurium.

Ad can. 3 (nunc can. 4)

Quoad § 2, Exc.mus Consultor proponit ut ante verbum « fideles » addatur verbum « ceteri », quia etiam sacri ministri inter fideles enumerandi sunt.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit hoc verum esse, sed etiam sacri ministri reverentia tenentur erga ceteros sacros ministros. Quapropter suggerit, et accipitur, sequentem textus emendationem:

« Illos tamen qui in Ecclesia ut sacrorum ministri constituuntur, *huius ministerii ratione omnes christifideles reverentia prosequantur* ».

Ad can. 4 (nunc can. 5)

Ad mentem propositionum quae factae sunt a duobus Consultoribus, textus huius canonis ita compleetur:

« Christifideles ... condicione, *obligatione* tenentur ad unionem inter *cunctos* christianos fovendam, attentis quidem normis a competenti auctoritate ecclesiastica statutis, *necnon ad pacem, iustitia in nixam, inter omnes homines promovendam* ».

Ad can. 5 (nunc can. 6)

Proponente Rev.mo Secretario Adiuncto haec fit mutatio ordinis verborum: « ... atque officio gaudent et iure eandem... ».

Ad can. 6 (nunc can. 7)

Ad § 1 animadvertisunt Exc.mi duo Consultores ponendum esse « ... obligatione tenentur et *iure gaudent* ad acquirendam... ». Placet propositio.

Est Consultor qui suggerit ut loco « *capacitatis* » dicatur « *idoneitatis* ». Maioritas tamen Consultorum mavult servare textum uti iacet.

Ad § 2, Ill.mus Consultor dubitat de opportunitate ponendi, in lin. 4, verbum « *libere* »; duo tamen Consultores animadvertisunt verba Concilii esse « *iusta libertas* ». Quapropter, suffragatione facta, omnibus placet ut ita emendetur textus: « ... pertinentibus, *iusta libertate* inquisitionem instituant... ».

Ad can. 7 (nunc can. 8)

Nulla fit animadversio, ideoque textus manet uti iacet.

Ad can. 8 (nunc can. 9)

Ill.mo cuidam Consultori non placet, in § 1, expressio « *perfectam vitam christianam* », quae adhiberi solet in terminologia Institutorum perfectionis.

Respondent duo Consultores ad perfectam vitam christianam, seu ad perfectionem caritatis, omnes christifideles vocatos esse. Haec est enim vocatio universalis ad sanctitatem in Ecclesia, de qua fusius accutum est in doctrina Concilii Vaticani II, praesertim in Cap. V Const. dogm. *Lumen gentium*.

Rev.mus Secretarius Adiunctus et socius, qui cum his dictis concordant, verba recolunt Const. *Lumen gentium*, n. 40: « Cunctis proinde perspicuum est, omnes christifideles cuiuscumque status vel ordinis ad vitae christianaee plenitudinem et caritatis perfectionem vocari ».

Non potest ergo reduci notio vel expressio « perfectio vitae christiana » aut « perfectio caritatis » ad terminologiam ad finem aut ad asceticam solummodo status perfectionis seu s.d. Institutorum perfectionis. Vita per « consilia evangelica » consecrata minime est unica via ascetica vel iuridica ad sanctitatem persequendam in Ecclesia. Christifideles ius quidem habent alias colendi formas et manifestaciones asceticae christiana, sive singulatim sive associativo modo.

Eandem tenent sententiam alii Consultores. Attamen ut melius pateat hic non agi de his qui « consilia evangelica » modo ab Ecclesia sancito profitentur in Institutis perfectionis, sed de omnibus christifidelibus, qui quidem ad eandem et unicam perfectam caritatem per baptismum vocantur, proponitur a Rev.mo Secretario Adiuncto ut ponatur expressio « plenitudinem vitae christiana » ex n. 40 Const. *Lumen gentium* desumpta.

Propositio omnibus placet, et etiam ut in notis § 1 canonis addatur citatio nn. 39-42 Const. dogm. *Lumen gentium*.

Ill.mus Consultor suggerit ut dividatur § 1 in duas paragraphos, ex quibus § 1 dicaretur ad enuntiandum ius ad sacramenta, quod peculiare habet momentum. Animadvertisunt tamen alii Consultores sub verbum « adiumenta » comprehendendi omnia quae ad sanctificationem christifidelium necessaria sunt; praeterea iam dicitur « verbi Dei prae-
sertim et Sacramentorum adiumenta ».

Est alter ill.mus Consultor cui non placent verba « iuxta sacrorum canonum praescripta » quae inveniuntur in fine huius § 1. Agitur enim de iure fundamentali, quod subordinari non potest praescriptis iuris canonici.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus hic non agi de limitatione huius iuris fundamentalis sed de ordinatione modi quo hoc ius exercendum est.

Fit adhuc parva discussio, cuius in fine sequentes formulae a Rev.mo Secretario Adiuncto suffragationi Consultorum submittuntur:

- 1) « ad normam sacrorum canonum »;
- 2) « iuxta canonum praescripta »;
- 3) « iuxta iuris praescripta »;
- 4) « iuxta canonicam disciplinam ».

Maioritati Consultorum placet formula sub n. 3 proposita, ideoque ita emendatur textus. Ill.mi duo Consultores se abstinent in suffragatione.

Ad can. 9 (nunc can. 10).

Censet Exc.mus Consultor ius quod enuntiatur melius exprimi posse per verbum « competit » (« ad proprium ritum sequendum competit »). Textus uti iacet est nimis restrictus.

Accedit ad hanc mentem alter Consultor qui proponit ut dicatur « sequi valent », quod omnibus placet.

Ad can. 10 (nunc can. 11)

Nulla fit animadversio, ideoque textus remanet uti iacet.

Ad can. 11 (nunc can. 12)

Nulla fit animadversio. Textus manet immutatus.

Ad can. 12 (nunc can. 13)

Facta est animadversio in scriptis cuiusdam Consultoris, qui suggerit ut expungantur verba « servata semper reverentia... ». Attamen, post emendationem iam factam in can. 3, idem Exc.mus Consultor non amplius sustinet suam propositionem.

Ad can. 13 (nunc can. 14)

Nulla fit animadversio. Textus remanet.

Ad can. 14 (nunc can. 15)

Nulla animadversio fit. Textus remanet uti iacet.

Ad can. 15 (nunc can. 16)

Prosequitur idem exc.mus Consultor proponens ut dicatur: « ... conventus habere *ad apostolicos cuiusque generis fines* in communi prosequendos », loco « *ad fines spirituales* », quod videtur nimis restrictum.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus fideles convenire quoque posse ad perfectionem seu plenitudinem vitae christianaee prosequendam, quod directe non cadit sub expressione « *fines apostolicos* ». Locutio « *fines spirituales* » omnia comprehendit, exclusis quidem fibibus temporalibus; quae enim ad fines temporales fiunt pertinent ad legem civilem, non ad legislationem ecclesiasticam.

Huic responsioni accedunt alii Consultores, qui recolunt de hac quaestione sermonem factum esse quando agebatur de Associationibus. Tunc approbatum etiam fuit ut loco verborum « ad finem religionis vel pietatis » dicatur « ad fines spirituales », quod latius patet atque magis congruit sub respectu theologico.

Fit tamen nova suffragatio, cuius exitus est:

Magis placet locutio « ad fines spirituales »: 7.

Magis placet locutio « ad fines religionis vel pietatis »: 2.

Textus ergo remanet uti iacet.

III.mus Consultor duas emendationes proponit, quae recipiuntur:

1) dicatur « cum competenti auctoritate » loco « cum auctoritate »;

2) ponatur « consociationes » loco « associationes », uniformitatis causa.

Denique approbatur, proponente Exc.mo Consultore, ut § 2 addatur sequens textus:

« Nemo cogi potest ut alicui consociationi det nomen ».

Ad can. 16 (nunc can. 17)

Nulla fit animadversio.

Ad can. 17 (nunc can. 18)

Nulla animadversio fit.

Ad can. 18 (nunc can. 19)

Quidam Consultor censet non esse necessarium hoc ius enunciare. Alii tamen Consultores, suffragatione facta, approbant ut servetur textus. Verum est hic agi de iure naturali, sed oportet ut explicite enuntietur, sicut fit in legislationibus civilibus. Ita enim fideles facilius hoc ius vindicare poterunt.

Antequam transitus fiat ad examen canonis sequentis, Rev.mus Secretarius Adiunctus novum proponit canonem, in quo ius fidelium recurrenti enuntietur contra abusum et deviationem quae haberi possunt in exercitio potestatis ecclesiasticae. Formula proposita atque suffragatione approbata est sequens:

« Ius est christifidelibus recurrenti ad instantiam iure determinatam contra auctoritatem quae fines suaे competentiae transcendent, aut eadem utitur in finem lege non intentum ».

Ad can. 19 (nunc can. 21)

Proponitur ab Exc.mo Consultore ut addatur propositio § 3 cuius textus sit:

« Quilibet delicti accusatus praesumitur innocens usquedum culpabilis probetur processu ad normam canonum facto ».

Ill.mus Consultor censem hunc textum aptius ponendum esse uti § 4 canonis 20, in quo tota pertractatur materia iudicialis.

Fit parva discussio de hac quaestione, atque denique approbatur, proponente Rev.mo Secretario Adjuncto, ut textus huius canonis ita exaretur:

« Christifidelibus competit ut iura quibus in Ecclesia gaudent legitime defendant in foro ecclesiastico, et quidem via iudicali necnon, in casibus iure definitis, via administrativa, ad normam sacrorum canonum ».

Ad can. 20 (nunc can. 22)

Rev.mus Secretarius Adjunctus sequentes emendationes proponit in § 6: 1) dicatur « lege definita » loco « iure definita »; 2) ponatur « eadem lege determinata » loco « eodem iure determinata » (ne includantur etiam consuetudines, quae bene determinatae non sunt).

Rev.mus Consultor quaerit ut hic vel alibi, in nova nempe §, haec vel similia verba ponantur: « Ecclesiasticae leges poenitatem statuentes nullo modo praeterita, ante illarum promulgationem commissa sive omissa, respiciunt ».

Fit discussio utrum hoc principium, quod quidem omnibus placet, sumendum vel applicandum per determinationes particulares sit ubi de legibus in genere aut in iure poenali potius quam in canonibus huius statuti fundamentalis christifidelium. In fine discussionis placet ut principium ita sumatur in § 6 huius canonis:

« Nemo puniri potest nisi ob delicta, quae iam tempore commissionis, poena determinata lege plectuntur ».

Ad can. 21 (nunc can. 23)

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adjunctus verba in fine § 1 posita — « Item servare debent iura quae iisdem in societatibus civilibus legitime agnoscantur » — obligationem moralem enuntiare, quod potius pertinet ad doctrinam.

Sunt tres Consultores qui huic animadversioni accedunt. Quaerunt attamen ut §§ 1 et 2 in unum componantur.

Propositio haec ceteris Consultoribus placet, quapropter Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentem formulam suffragationi submittit:

« § 1 (antea §§ 1-2). Christifideles obligatione tenentur servandi ac promovendi iura quae hominibus ratione dignitatis humanae aut divinae ad salutem vocationis competunt, itemque tuendi et defendendi libertatem qua Ecclesia gaudet ut missionem sibi propriam adimplere valeat ».

Denique, quoad § 3 (nunc § 2) haec admittitur additio: « ... actionibus quae *dignitati personae humanae aut missioni Ecclesiae* ... ».

Ad can. 22 (nunc can. 24)

Proponentibus quodam Exc.mo Consultore et Rev.mo Secretario Adiuncto textus huius canonis ita, claritatis causa, emendatur et compleetur:

« Omnes christifideles, doctrina Ecclesiae in re sociali innixi, iustitiam inter homines populosque promoveant, atque operibus pietatis et caritatis christiana auxilium praestent, praesertim quibus efficax praebetur adiumentum iis qui in necessitate versantur ».

Aliae quaestiones perpenduntur

1) Est Ill.mus Consultor qui suggerit ut novus addatur canon, cuius textus sit:

« In obligationibus erga societatem civilem implendis (vel solvendis) fas est christifidelibus ex recta conscientia agere, etiam quod attinet ad arma tempore belli ferenda » (cfr. Const. past. *Gaudium et spes*, n. 79 § 3).

Quidam Consultores se dicunt omnino contrarios ut hic canon includatur, etiam propter consecutarias repercussiones ordinis politici quibus hoc praescriptum legislationis Ecclesiae locum daret.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit quaestionem propositam ordinis stricte moralis esse. Haec res, quae quidem adhuc in doctrina absolute soluta non est, pertinet ad Magisterium, non ad ius canonicum.

Rev.mus Consultor adest qui memorat textum can. 2 statuti iuridici laicorum, ubi, ad mentem ipsius Const. *Gaudium et spes*, n. 43, libertas affirmatur agendi in rebus civitatis terrenae. Haec quidem libertas quae unicuique competit intelligitur quidem secundum conscientiam

personalem recte efformatam: efformatio tamen conscientiae fidelium fit per Magisterium.

Facta denique suffragatione, novus canon propositus non admittitur. Haec quaestio de sic dicta « obiectione conscientiae » potius proponenda videtur ad S. C. pro Doctrina Fidei.

2) Duo Consultores quaerunt ut novus fiat canon de iure impugnandi leges quae violent iura fidelium fundamentalia, et quidem per recursum ad organum aliquod vel instantiam iuris ecclesiastici supremam, cuius sit discernere de constitutionalitate vel minus legum ordinis inferioris (subintelligitur relate ad Legem Ecclesiae Fundamentalem, ubi iura fundamentalia fidelium declaranda videntur).

Propositio haec omnibus placet. Agitur tamen — uti animadvertis Rev.mus Secretarius Adiunctus — de ordinatione generali potestatis legislativae in Ecclesia universa. Quapropter, suffragatione facta, hic Coetus Consultorum exprimit votum ut canon addatur in Lege Ecclesiae Fundamentalali, qui supradictae propositioni respondeat.

3) Est Rev.mus Consultor qui hunc proponit novum canonem: « Intuitu boni communis, iurium sive officiorum exercitium, quae propria sunt christifidelium, Sacrae Hierarchiae competit moderari, ratione habita praesertim aetatis ».

Hic tamen textus, facta suffragatione, non recipitur, quia officium Hierarchiae enuntiat potius quam ius vel officium omnium christifidelium. Propositio vero prae oculis haberi potest in parte Codicis ubi agitur de personis in genere aut de obligatione legum, aut de Sacra Hierarchia.

4) Idem Rev.mus Consultor ac supra sequentem proponit quaestionem: notio « christifidelis » sat ampla e documentis conciliaribus eruitur, praecipue e Const. dogm. *Lumen gentium* cui veniunt documenta de oecumenismo tum in eodem Concilio Vaticano II tum postea lata: « Ad (...) catholicam Populi Dei unitatem, (...) variis modis pertinent vel ordinantur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati » (*Lumen gentium*, n. 13 § 4). (cf. textus classicos iam adhibitos fere ubique in operibus et auctoribus de hoc tractantibus, v.gr. *L.G.*, nn. 14, 15, 16; *Unitatis redintegratio*, n. 3; *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 2 ss.; Directorium Oecumenismi, etc.). Oporteret ergo, ait adhuc idem Consultor palam statuere quaenam competant e iuribus et officiis fundamentalibus in hoc Statuto recognitis: a) *omnibus baptizatis*: baptismus enim est vinculum sacramentalis unitatis, immo et fundamentum

communionis inter omnes christianos (cf. Directorium oecumenismi, a Secretariatu pro Unitate Christianorum (14 maii 1967), n. 11; b) *illis qui plene Ecclesiae societati incorporantur*, iuxta illa dicta in *Lumen gentium*, n. 14 § 2; c) *catechumenis* « quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia » (*Lumen gentium*, n. 14 § 3; cf. *Ad gentes*, n. 14, praecipue in § 5). Iura catechumenorum certo non coincidunt cum iuribus et officiis baptizatorum, attamen in illis innituntur et non raro ex iisdem participant.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus sub verbo « christifideles » venire omnes quidem baptizatos, secundum vero eorum statum et conditionem, prout nempe plenam vel minus plenam communionem cum Ecclesia catholica habeant. Obiective omnes christifideles, omnes nempe baptizati, sunt in Ecclesia, quae unica est, ergo obiective tenentur iuribus et obligationibus ab auctoritate Ecclesiae declaratis, licet ipsa Auctoritas ecclesiastica a quibusdam legibus ecclesiasticis liberet christifideles qui adhuc in plena communione non sint.

Tres Consultores addunt quod, praesertim propter has rationes supra allatas, non possunt dici christifideles qui adhuc non sunt in plena communione iuribus et obligationibus huius statuti fundamentalis non gaudere, quia si hoc affirmatur ipsi christifideles extra Ecclesiam ponuntur, quod theologicamente sustineri non potest. Haec tamen quaestio non hic sed potius in Lege Ecclesiae Fundamentalii solvenda videtur.

Idem concludit Rev.mus Secretarius Adiunctus, memorans normas quae, licet adhuc perfici possunt, datae iam sunt in can. 4 § 3; 5 et 8 schematis Legis Fundamentalis. Ibi etiam ponenda sunt facultates et iura quaedam quae Ecclesia catechumenis concedit, licet ipsi adhuc non sint christifideles.

Hic dictis accedit Rev.mus Consultor qui quaestionem posuit de notione « Christifidelis ».

5) Ill.mus Consultor novam paragraphum inserendam proponit (uti § 2) in can. 2 huius statuti:

« Obligationibus vero in hisce canonibus erga Ecclesiam et ministros sacros statutis ipsa Ecclesia non vult onerare conscientias illorum christifidelium qui ex fide bona Ecclesiis aut communitatibus ab Ecclesia catholica seiunctis (vel: plenam cum Ecclesia catholica communionem non habentibus) sunt adscripti ».

Ratio huius propositionis est consideratio oecumenica fratrum seiuncorum. Quoad verba singula ita explicantur ab Ill.mo Consultore:

— « erga Ecclesiam et ministros sacros »: excluduntur obligatio-nes erga homines et populos.

— « non vult onerare conscientias »: quamvis theologice vis obli-gatoria obiectiva canonum pro omnibus baptizatis ex baptismate de-duci possit, tamen assertio dogmatica et absoluta talis obligationis valde offendere fratres communionem quandam nobiscum habentes aut sal-tem quaerentes.

— « ex fide bona »: his verbis excluduntur illi qui a fide catho-lica sua sponte ad aliam transierunt Ecclesiam vel communitatem vel omnino ab Ecclesia secesserunt; pro quibus rationes supra allatae non valent.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus quod in novo Co-dice tollendae videntur formulae « graviter onerata conscientia » aliae-que huius generis locutiones, quia tantum loquendum est de obliga-tione iuridica.

Exc.mus Consultor censemt quaestionem ab Ill.mo alio Consultore propositam esse quaestionem generalem, quae tractanda videtur ubi de obligatione legum ecclesiasticarum agetur.

Alter Ill.mus Consultor aliam quaestionem ponit, quae quidem connexa est cum propositione praecedentis Consultoris, nempe: de communitatibus ecclesialibus seiunctis deque earum positione quoad ius Ecclesiae, quia agendum videtur non tantum de fratribus seiunctis uti personis physicis, sed etiam de ipsis communitatibus seiunctis.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentia proponit quaesita, quae quidem a nostro Coetu solvi non possunt, sed ponendae sunt Coetui « De Lege Ecclesiae Fundamentali », vel Coetui Centrali Consultorum totius Commissionis:

1) « An Ecclesia, etsi obiective potest, intendat obligare suis le-gibus his qui in communitatibus ecclesialibus seiunctis bona fide sunt ».

2) « An Ecclesia intendat obligare subiective eos qui etsi bapti-zati in Ecclesia catholica postea omnino defecerunt ».

3) « An communitatibus ecclesialibus seiunctis recognoscenda sit aliqua personalitas iuridica uti talibus ita ut pro earum membris va-leant etiam praescripta quae in propria communitate habentur, si leges Ecclesiae non contradicunt.

Facta suffragatione, omnibus placet ut talia quaesita Coetui com-petenti proponantur.

6) Exc.mus Consultor principium censemt ponendum de libertate

christifidelium acquirendi novum domicilium aut quasi-domicilium, cum omnibus iuribus et obligationibus ex nova positione iuridica promanantibus.

Principium hoc quoad substantiam placet, ita ut aliquid dicatur in canonibus ubi agatur de domicilio.

7) Aliud principium declarandum proponitur ab eodem Exc.mo Consultore nempe: « Omnes christifideles iure gaudent ingrediendi ecclesias, Deum colendi, Verbum Dei audiendi, sacramenta recipiendi, vel eas visitandi ». Hoc ius ingrediendi ecclesias — ait Exc.mus Vir — est ius limitatum, quia non datur ad alios fines, ex gr. ad adunationes synodales, vel ad perturbationes actionum liturgicarum, etc.

Propositio quoad substantiam placet aliis Consultoribus, qui tamen votum faciunt ut de hac quaestione sermo fiat in canonibus de iure poenali vel in canonibus de locis et temporibus sacris. Enuntiatio fundamentalis huius iuris iam subintelligitur in can. 8 (nunc can. 9) nostri Statuti.

8) Adhuc ipse Exc.mus Consultor aliam novam formulam proponit, quae ita sonat: « Christifidelis, qui habet aliquod munus, habet quoque ius illud libere exercendi ad normam sacrorum canonum ».

Alii tamen Consultores censem hanc normam necessariam non esse, quia qui habet officium simul habet ius ad illud exercendum. Possunt quidem haberi abusus ex parte auctoritatis quae exercitium muneric illegitime coarctet, sed hoc in casu viget principium in novo canone 19 iam approbatum.

9) Denique, quaestio ponitur a Rev.mo quodam Consultore de ordine systematico: quoad ordinem diversorum canonum huius Statuti, et quoad positionem huius Statuti fundamentalis omnium christifidelium relate ad alias partes legislationis novi Codicis.

Haec tamen quaestio nunc non solvit, quia pendet ex laboribus quae fiunt sive in Coetu « De Lege Ecclesiae Fundamentalí », sive in Coetu « De ordine systematico novi Codicis ».

II

STATUTUM IURIDICUM LAICORUM IN ECCLESIA

Animadversiones quae fiunt in recognitione huius schematis sunt sequentes:

Ad can. 1

Quaeritur ab Exc.mo Consultore ut deleantur verba « in saeculo viventes », quia — ait Exc.mus — in saeculo non vivunt si permanenter Ecclesiae servitio addicuntur. Propositio a ceteris Consultoribus non recipitur, quia semper in saeculo vivunt, nisi sint laici religiosi de quibus hic non agitur.

Ipse Exc.mus Consultor alias duas emendationes suggerit: 1) deleantur verba « quam a Deo per Ecclesiam receperunt » (quia haec additio in conceptu « christifideles » iam contenta videtur); 2) loco verbi « praesertim », in lin. 9, dicatur « necnon » (ne intelligatur ac si testimonium laicorum in rebus non temporalibus nec saecularibus necessarium non sit).

Ad primam harum duarum propositionum, quidam animadvertisunt haec verba etsi non necessaria opportuna esse, quia ita extollitur vocatio divina quam christifideles laici recipiunt. Fit ergo suffragatio cuius exitus est: Placet ut haec verba maneant (6) — Non placet (2).

Quoad secundam propositionem, animadvertisit Rev.mus Secretarius Adjunctus, cui accedunt ceteri Consultores, per verbum « necnon » contrapositionem insinuari inter Ecclesiam et mundum, seu inter opus laicorum in structuris organizatibus Ecclesiae et eorum laborem apostolicum in structuris saecularibus sanctificandis. Attamen laici sunt quidem in Ecclesia quando in rebus temporalibus proprium exercent apostolatum. Verbum « mundus » diversos habet sensus, et Ecclesia non contraponitur ad mundum, neque vox « Ecclesia » sumi potest ad designandum tantum structuras organizativas apostolatus hierarchiae (nempe, opera dioecesana aut paroecialia, associationes ecclasiasticas, etc.).

Exc.mus Consultor memorat diversa documenta Concilii Vat. II in quibus dicitur « proprium », « specificum » atque « speciale » munus laicorum esse res temporales gerere et ab intra sanctificare. Idem dicit alter Rev.mus Consultor, qui addit verbum « praesertim » significare quod specificum est in missione laicorum; est quidem nota cha-

racteristica eorum participationis in unica missione Populi Dei, quod tamen alias activitates apostolicas evangelizationis non excludit quae omnibus christifidelibus competunt.

His omnibus attentis, Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut loco « praesertim » dicatur « specialiter ».

Fit ergo suffragatio cuius exitus est: Placet: 6; Non placet: 2.

Ad can. 2

Nulla fit animadversio, ideoque textus manet uti iacet.

Ad can. 3

Exc.mus Consultor proponit ut dicatur in § 2 « docetur » loco « traduntur ». Emendatio tamen non admittitur.

Ad can. 4

Duo Exc.mi Consultores suggestunt ut in § 1, lin. 3, haec fiat additio: « ... generali obligatione *et iure* tenentur ». Ceteri autem Consultores hanc additionem necessariam non censem, quia si christifideles ratione baptismi hoc habent officium simul habent etiam ius ad huiusmodi officium adimplendum.

Ad can. 5

Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentem proponit novam redactionem § 2, quae ab omnibus recipitur: « Habiles etiam sunt qui ad normas iuris idonei reperiantur ut ad illa munera ecclesiastica a sacris Pastoribus assumantur quibus secundum iuris universalis aut particularis praescripta fungi valent ».

Ita enim tolluntur innecessariae specificationes.

Ad can. 6

Duae fiunt emendationes in § 2: 1) « ministerium verbi exercere », loco « doctrinam tradere »; 2) « precibus *liturgicis* praeesse », loco « precibus praeesse ».

Ad can. 7

Nulla fit animadversio. Tantum Rev.mus Consultor est qui quaerit an opportunum esset quod norma data in fine huius canonis ponat

tur etiam, debite quidem accommodata, in Statuto fundamentali omnium christifidelium.

Respondet tamen Rev.mus Secretarius Adiunctus hoc principium non esse idem pro omnibus christifidelibus, quia titulus iuridicus huius remunerationis est diversus iuxta uniuscuiusque statum et conditio nem. Melius ergo videtur ut pro singulis separatim tractetur: nempe, pro presbyteris, pro diaconis, pro laicis speciali servitio Ecclesiae addictis. Maior pars Consultorum eandem tenet sententiam.

III

DE FIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

Quaedam in initio ponuntur quaestiones de ordine systematico canonomique speciebus consociationum quae comprehendendi debent sub hac generali legislatione « De fidelium consociationibus ».

1) Rev.mus Consultor sequentem animadversionem facit: Canones schematis videntur non eadem ratione omnino procedere; etenim post canones introductorios atque generales (can. 1-12), dantur:

III) Normae speciales pro christifidelibus qui clerici sint *vel religiosi* (can. 13-15);

IV) Normae speciales pro laicorum consociationibus (can. 16-18).

Attamen, canones 13 et 14 agunt re vera de associationibus clericorum saecularium; canon vero 15 agit de religiosis qui — praeter propriam iam habitam cooptationem in Instituto perfectionis — nomen etiam dare intendunt alicui consociationi christifidelium. Haec tamen res est quidem minoris momenti, et non videtur iustificare ut de religiosis fiat sermo in ipso Tit. III. Nonne esset revera opportunum hic inserere, nempe sub generali legislatione de Associationibus fidelium in Ecclesia, canones etiam qui specifice agunt de Institutis religiosis?

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet in prioribus disceptationibus de ordine systematico novi Codicis sequens quaesitum possum esse: « Utrum placeat distinctis partibus agere de religiosis (seu de consociationibus eorum qui sunt in statu perfectionis) et de associationibus aliorum christifidelium (seu de iure associativo) ». Ratio

huius quaesiti non est quidem quia ius associativum pro Institutis perfectionis sit « maius » vel « magis plenum » quam pro ceteris Con-sociationibus in Ecclesia. Ius sese associandi atque consecatoria iuri-dica (quoad associationum constitutionem, regimen, etc.) ex ipso iure pro-mananitia sunt quidem eadem pro omnibus christifidelibus, quia in-ter omnes christifideles vera viget in Ecclesia aequalitas quoad digni-tatem et actionem (cfr. can. 3 § 1 Statuti fundamentalis omnium chri-stifidelium). Ratio supradictae distinctionis naturam habet tantum theo-logicam, nempe quod per publicam professionem trium consiliorum evan-gelicorum, votis vel aliis sacris ligaminibus a fidelibus Institu-torum perfectionis coram Ecclesia susceptis, condicio personarum mu-tatur (ipsi scilicet fideles assumunt statum personale proprium ac di-versum a statu communi ceterorum fidelium, clericorum vel lai-corum).

His dictis accedit Rev.mus Consultor qui quaestionem de ordine systematiko canonum posuit. Proponitur tamen et accipitur, claritatis causa, ut can. 15 fiat can. 12 bis, transeat nempe ad canones gene-rales; quod permittit ut Tit. III ita tantum sonet: « Normae specia-les pro christifidelibus qui clerici sint ».

2) Rev.mus Secretarius Adiunctus, attentis Litteris N. 107311 a Secretaria Status die 7-11-'67 nostrae Commissioni transmissis, circa Societas missionarias, quae in hodierno Codice sub legislatione so-cietatum vitae communis absque votis positae sunt, memorat ipsas aliam configura-tionem iuridicam in novo Codice postulare (ut aptius respon-deant propositis suorum fundatorum), et quidem diversam ab aliis so-cietatibus vitae communis quae inter Instituta perfectionis adnumerari seu manere volunt. Haec situatio simile est — prosequitur Rev.mus Secretarius Adiunctus — ac ea quae habetur in sinu Institutorum sae-cularium pro quibus noster Coetus propriam sententiam adhuc dare non voluit, expectans ut ipsa Instituta, sat inter se diversa, exoptata sua pro iure condendo patefiant, iuxta spiritum uniuscuiusque fun-datoris.

Cum in utroque casu istae associationes nunc in revisionem pro-prii iuris particularis incumbant, denuo proponitur a Rev.mo Secretario Adiuncto, et accipitur, ut studium huius quaestio-nis ad tempus magis opportunum remittatur.

Nulla alia animadversio generalis fit. Quapropter singuli canones examini subiiciuntur. Propositiones quae fiunt sunt sequentes.

Ad. can. 1

Exc.mus Consultor postulat ut inter uncos ponantur numeri cann. 478-681, quod approbatur.

Suggerit alter Exc.mus Consultor ut in § 2 addantur verba « vel quae urgentiores decretae sunt ». Alii tamen Consultores censem hoc non esse necessarium, quia iam dicitur « laudatae vel commendatae sint ». Cui responsioni accedit Exc.mus Consultor de quo supra.

Exc.mus Consultor haec in suo voto scripsit: « Opino que debe dejarse claramente establecido que las asociaciones de inspiración cristiana, que actuan en el plano temporal (partidos politicos social o democristianos, sindicatos cristianos) no tienen ninguna vinculación con la Jerarquía, aunque sean obra de católicos en cuanto ciudadanos de una nación ».

Huic sententiae accedunt et alii Consultores. De hac vero quaestione sermo potius videtur esse faciens in ipso schemate Legis Ecclesiae Fundamentalis, in parte ubi normae dentur de rationibus Ecclesiam inter et civilem societatem.

Ad can. 2

Nulla fit animadversio.

Ad can. 3

Proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus, et admittitur, ut loco « lege divina » (§ 1, lin. 5), dicatur « natura sua ».

Ad mentem can. 1529 hodierni Codicis, suggerit Exc.mus Consultor ut addatur § 4, in qua obligatio associationibus imponatur obtinendi personalitatem civilem atque servandi leges civiles.

Alter Exc.mus Consultor et Rev.mus Secretarius Adiunctus censem de hoc melius esse silendum, quia adiuncta sunt diversa in singulis nationibus. Res iuri particulari relinquenda videtur. Haec est etiam sententia ceterorum Consultorum quibus accedit et ipse Exc.mus Consultor qui quaestionem posuit.

Ad can. 4

Nulla fit animadversio.

Ad can. 5

Quaerit Rev.mus Consultor, cui et alii Consultores accedunt, ut § 1 huius canonis aptius concordetur cum principio subsidiarietatis.

Hoc in sensu dum opportunum est ut in norma generali statuatur omnes consociationes subesse vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae competentis, non aequo iure neque eadem ratione dicendum videtur omnes associationes subesse quoque iuri visitationis atque regimini eiusdem auctoritatis.

Rev.mus Secretarius Adiunctus addit quod evidenter ius invigilandi (« ut integritas fidei et morum servetur ») valet pro omnibus associationibus, ius vero visitandi valet quoque pro omnibus, sed iuxta naturam propriam uniuscuiusque associationis. Hoc iam subintelligitur per verba « ad normam iuris », quod quidem respicit ius sive commune sive particulare. Claritatis tamen causa proponitur a Rev.mo Secretario Adiuncto et accipitur, ut haec fiat additio: « ... ad normam iuris *communis et particularis* eosdem invisendi... ». Circa verba « ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant » animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus hoc idem significare ac ne normae canonicae violentur.

Quoad regimen — ait Exc.mus quidem Consultor — iam dicitur « secundum praescripta canonum qui sequuntur », in quibus differentiae quidem statuuntur. Item dicunt una cum Rev.mo Secretario Adiuncto et alii Consultores, qui memorant has differentias oriri ex duplice capite: 1) ex indole publica vel privata associationis; 2) ex auctoritate ecclesiastica competenti, quae associationem erexit. Proponitur ergo a Rev.mo Secretario Adiuncto et accipitur, ut textus § 1, in fine, maneat sicuti est; in fine tamen § 2 haec verba adduntur: « ... consociationes dioecesanae necnon, *iuxta statuta uniuscuiusque consociationis*, sectiones dioecesanae ... ».

Denique ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut textus § 3 ita compleatur: « Consociationes quae ad normam can. 19 § 1 erectae sunt a Sancta Sede aut quae vi privilegii apostolici... ». Placet propositio.

Ad can. 6

Nulla fit animadversio.

Ad can. 7

Est Ill.mus Consultor qui ita emendandum censet textum in § 3 canonis: « ... consociationibus *nisi* iudicio auctoritatis de qua in can. 5 § 2 id fieri *non* possit sine detimento actionis consociationis propriae *aut* exinde oriatur ... ».

Fit parva discussio de textu huius §. Exc.mus Consultor putat ultima verba sensu magis positivo redigenda esse ratione oecumenismi. Rev.mus Consultor animadvertisit distinctionem esse faciendam inter associationes publicas et privatas, quoad interventum auctoritatis in his quae respiciunt actionem consociationi propriam.

In fine disceptationis suffragationi submittitur formula ab Ill.mo Consultore proposita. Exitus suffragationis est: Placet: 7; Non placet: 2.

Ad cann. 8-10

Nulla fit animadversio, ideoque textus remanet uti est.

Ad can. 11

Quaerit Exc.mus Consultor ut § 3 addatur, cuius textus sit: « Destinatio bonorum consociationis extinctae ab ipsis statutis determinanda est, servato tamen can. 32, § 2 » (ex can. 33).

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus hanc normam valere tantum pro associationibus privatis, quia in casu associationis publicae providet auctoritas ecclesiastica ad normam iuris.

Ad can. 12

Animadvertisit ipse Exc.mus Consultor qui supra textum huius canonis idem esse ac textum can. 17, § 3. Huic animadversioni omnes accedunt Consultores et approbatur deletio § 3 canonis 17. Haec enim norma aptius ponenda videtur in hac parte generali, uti iam factum est cum canone 15 (nunc can. 13).

Ad can. 13 (nunc can. 14)

Proponit Exc.mus Consultor ut in § 2 deleatur verbum « plene », quia videtur superfluum. Propositio recipitur.

Ad can. 14 (nunc can. 15)

Nulla fit animadversio, ideoque textus remanet.

Ad can. 15 (nunc can. 13)

Uti supra dictum est hic textus positus est in parte generali, cum hac tantum emendatione a Rev.mo Secretario Adiuncto proposita: loco « iudicio Superioris » dicitur « iudicio Superioris competentis ».

Ad can. 16

Approbatur suggestio Rev.mi Secretarii Adiuncti ut, in lin. 4, dicatur « in specie » loco « praesertim ».

Ad cann. 17-18

Non fuent animadversiones, quare textus duorum canonum manet integre uti iacet.

Ad can. 19

Dimidia pars Consultorum fuit, in sessione praecedenti huius Coetus, in favorem suppressionis verborum quae habentur in parte secunda § 2, nempe « consensus tamen (...) religiosi sit propria ». Etiam nunc divisio habetur sententiarum, quare haec verba manent.

Ad cann. 20-21

Nulla fit animadversio. Textus manet.

Ad can. 22

Proponente Rev.mo Secretario Adiuncto approbatur ut dicatur « mutatio » loco « correctio ».

Ad cann. 23-24

Textus manet uti est, quia nulla fit animadversio.

Ad can. 25

Rev.mus Secretarius Adiunctus sequentem mutationem verborum proponit in § 1 faciendam: « Ipsius auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 19, § 1, est, ad normam statutorum, consociationis publicae moderatorem nominare, aut a consociatione praesentatum vel electum confirmare... ». Propositio omnibus placet.

Quoad § 3, animadvertisit Rev.mus quidam Consultor quasdam forsan determinationes necessarias esse relate ad verba « in specialibus adiunctis » atque « ubi graves rationes id requirant ».

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus cui praecedens Consultor accedit, difficile esse supradicta adiuncta determinare, quia non agitur tantum de delictis, sed designatio commissarii fieri etiam potest

ob causas oecumenicas vel politicas, etc. Praeterea, uti aiunt duo Consultores possiblitas semper habetur recursus ex parte consociationis.

Quoad § 6, Exc.mus Consultor novam textus redactionem suggerit, quae ita sonat: « In consociationibus christifidelium publicis quae direcete ad apostolatum exercendum ordinantur, moderatores ne sint qui in factionibus politicis officium directionis adimplent ».

Facta suffragatione, textus recipitur.

Ad can. 26

Nulla fit animadversio.

Ad can. 27

Quoad § 2 huius canonis, quidam Consultores censem aptius esse dicendum « ob gravissimas causas », quia ob graves causas sufficeret nominatio commissarii, de quo in can. 25, § 3.

Tres Consultores qui huic animadversioni substantialiter accedunt, proponunt et accipitur ut nova § addatur cuius textus sit: « Consociatio publica ab auctoritate competenti ne supprimatur, nisi auditis eius officialibus maioribus ».

Facta suffragatione, haec additio ab omnibus approbatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus quoad destinationem bonorum consociationis publicae quae supprimatur, hunc novum canonem proponebit, cuius formulatio omnibus Consultoribus placet.

Can. 28 (novus)

« Suppressa aut alia ratione extincta consociatione publica, eiusdem bona, nisi eorum destinatio in statutis praewisa sit, in dominium deferuntur personae iuridicae ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum vel donatorum voluntate necnon iuribus quae-sitis ».

Ad can. 28 (nunc can. 29)

Nulla fit animadversio, ideoque textus manet uti iacet.

Ad can. 29 (nunc can. 30)

Proponente Rev.mo Secretario Adiuncto hae fiunt emendationes in § 2: « sint recognita » loco « sint approbata » (lin. 3); atque « recognitio » loco « approbatio » (lin. 4).

Ad can. 30 (nunc can. 31)

Quaerit Rev.mus Consultor ut in § 2 supprimantur verba « quantum possit ». Propositio tamen non accipitur, quia oportet ut norma prudenti donetur elasticitate.

Ad can. 31 (nunc can. 32)

Nulla fit animadversio. Textus remanet.

Ad can. 32 (nunc can. 33)

Nulla animadversio fit. Textus manet uti est.

Ad can. 33 (nunc can. 34)

Proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus et propositio accipitur ut loco « resolvitur » dicatur « extinguitur ».

Ita expletur disceptatio de quaestionibus in hac sessione Coetus pertractandis; quare schemata canonum hactenus apparata manent recognita uti prostant in adnexo. Agitur evidenter de schematibus quae adhuc perficienda sunt tempore opportuno ab ipso Coetu Consultorum, attentis quaestionibus connexis quae in aliis Coetibus adhuc agitantur.

Romae, 31 ianuarii 1970.

I. HERRANZ, *Actuarius*

ADNEXUM

STATUTUM IURIDICUM OMNIUM CHRISTIFIDELIUM

Canon 1

Nomine christifidelium intelleguntur homines qui, utpote baptismati Christo incorporati, in Populum Dei sunt constituti, quique hac ratione, de munere Christi sacerdotali, prophetico et regali pro parte sua participes facti, unusquisque secundum propriam condicionem iuridicam, ad missionem quam Deus Ecclesiae in mundo adimplendam concredidit exercendam vocantur (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 11, 12, 31).

Canon 2

§ 1. Obligationes et iura quae statuuntur in canonibus qui sequuntur omnibus propria sunt christifidelibus, sive sint clerici sive sint laici, nulla inter eos facta distinctione ratione stirpis, nationis, condicionis socialis vel sexus.

§ 2. Religiosi etiam iisdem subiiciuntur obligationibus iisdemque gaudent iuribus, nisi iuxta sacros canones aut proprias constitutiones quorundam iurium exercitio renuntiaverint aut ab adimplendis quibusdam obligationibus exempti sint.

Canon 3

§ 1. Etsi in Ecclesia Christi diversa christifidelium sint officia et munera, veram in dignitate et actione communi aequalitatem, quae unius baptismatis ratione, inter eos viget, omnes agnoscere, atque fraternitatem qua hac ratione inter se devinciuntur observare tenentur.

§ 2. Illos tamen qui in Ecclesia ut sacrorum ministri constituuntur, huius ministerii ratione omnes Christifideles reverentia prosequantur (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 32; Const. *Gaudium et spes*, nn. 49 et 61).

Canon 4 (novus)

§ 1. Baptismate irrevocabiliter in Ecclesia Christi incorporati cum sint, christifideles obligatione tenentur curandi ut, agendi ratione quo-

que, communionem semper servent cum eadem Ecclesia, his quidem in terris a successore Petri et Episcopis in eius communione gubernata.

§ 2. Magna cum diligentia officia adimpleant qui tenentur non tantum erga Ecclesiam Christi universam, sed etiam erga Ecclesiam particularem ad quam, secundum iuris praescripta, pertinent.

Canon 5

Christifideles, unusquisque pro sua competentia et condicione, obligatione tenentur ad unionem inter cunctos christianos fovendam, attentis normis a competenti auctoritate ecclesiastica statutis, necnon ad pacem, iustitiam innixam, inter omnes homines promovendam (cfr. Decr. *Unitatis redintegratio*, nn. 4, b, c; 5 initio; 9; 18; 24 a; Const. *Gaudium et spes*, nn. 77, 88; 92, c; Decl. *Nostra aetate*, nn. 2, c; 5, a; Decr. *Ad gentes*, nn. 15 [in medio]; 41, f; Decl. *Apostolicam actuositatem*, nn. 14, b; 27).

Canon 6

Christifideles obligatione tenentur veram fidem, quam cognoscant, servandi atque officio gaudent et iure eandem coram aliis profitendi (cfr. Decl. *Dignitatis humanae*, passim).

Canon 7

§ 1. Singuli christifideles, ratione habita uniuscuiusque capacitatibus, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam doctrinae christianae cognitionem, secundum requisita proprii status ac condicione.

§ 2. Omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent ut, propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus, iusta libertate inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deveniant, debita cum prudentia atque necessario erga Ecclesiae Magisterium obsequio, cum aliis communient (cfr., quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14, 3º et 4º; Decl. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decl. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine).

Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, ult.; Decl. *Gravissimum educationis*, nn. 10 et 11; Decl. *Unitatis redintegratio*, n. 11, 3º).

Canon 8

Christifideles illa quae sacri Pastores tamquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili sectari tenentur (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9 in fine).

Canon 9

§ 1. Cuncti christifideles, ut plenitudinem vitae christianaem, ad quam ipso baptismate vocantur, ducere valeant, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendo, iuxta iuris praescripta.

§ 2. Integrum est cunctis christifidelibus ut, sive singuli sive in associationibus coniuncti, illam spiritualitatis formam, doctrinae Ecclesiae conformem, colant quam in conscientia proprio statui et muneri convenientem censem (cfr. Const. *Lumen gentium*, nn. 37, 39-40; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 19; Decr. *Presbyterorum ordinis*, n. 9; *CIC*, can. 682).

Canon 10

Christifideles ritum qui ad normam canonis... (98 *CIC*) est sibi proprius sequi valent ac debent (cfr. Decr. *Orientalium Ecclesiarum*, nn. 6 et 21; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 4).

Canon 11

Universis christifidelibus officium et ius est active in celebracionibus liturgicis participandi, iuxta praescripta a legitima ecclesiastica auctoritate statuta (cfr. Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29 et 79).

Canon 12

§ 1. Cunctis fidelibus officium et ius est, unicuique pro parte quam in missione Ecclesiae habet, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur.

§ 2. Omnibus etiam onus incumbit et ius est, unicuique secundum proprium statum et condicionem, ut, sive singuli sive consociati,

apostolatum exerceant, in communione cum sacris pastoribus (cfr., quoad § 1: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3. Quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 10 et 24).

Canon 13

§ 1. Fideles ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris pastoribus patefaciant.

§ 2. Item, pro scientia et competentia quibus pollent, facultatem, immo aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt in veracitate, cum caritate ac prudentia declarant, servata semper reverentia Sacris Pastoribus debita (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; Const. *Gaudium et spes*, n. 92, 2º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 6 ult.; Decr. *Inter mirifica*, n. 8).

Canon 14

§ 1. Christifideles sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

§ 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alias fines eidem Ecclesiae proprios necessaria sunt media (cfr. Decr. *Ad gentes*, n. 36; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, nn. 17, 20 et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 21; CIC, can. 1496).

Canon 15

Christifideles omnes iure gaudent ut, a quacumque coactione imunes, statum vitae libere eligant (cfr. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris*, 11 apr. 1963: AAS 55 (1963), p. 261; CIC, can. 214, 971, 2352, 1087 § 1; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29 et 52).

Canon 16

§ 1. Debita cum competenti auctoritate relatione servata, universis christifidelibus ius est condere et moderari consociationes iisque

nomen dare, itemque conventus habere ad fines spirituales in communi persequendos.

§ 2. Nemo cogi potest ut alicui consociationi det nomen (cfr. inter alia: LEO XIII, *Litt. Encycl. Rerum novarum*, 15 maii 1891: Acta Leonis XIII, vol. 11, pp. 97 ss.; PIUS XI, *Litt. Encycl. Quadragesimo anno*, 15 maii 1931: *AAS* 23 [1931], p. 177 ss.; IOANNES XXIII, *Litt. Encycl. Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *AAS* 55 [1963], p. 263; CONC. VAT. II, *Const. past. Gaudium et spes*, n. 68 et 73; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19).

Canon 17

Rescripta a competenti auctoritate ecclesiastica impetrare possunt, servatis quidem iure servandis, omnes christifideles, qui expresse iure non prohibentur (cfr. *CIC*, can. 36).

Canon 18

Fidelibus ius est ut bona fama qua gaudent ab omnibus in honore habeatur; quapropter nemini licet illegitime eandem laedere (cfr. IOANNES XXIII, *Litt. Encycl. Pacem in terris*, 11 apr. 1963: *AAS* 55 [1963], p. 260; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 12; *Const. Gaudium et spes*, n. 26).

Canon 19

Christifideles officium et ius habent servandi secretum commercii epistolaris.

Canon 20 (novus)

Ius est christifidelibus recurrenti ad instantiam iure determinatam contra auctoritatem quae fines suae competentiae transcendent, aut eadem utitur in finem lege non intentum.

Canon 21

Christifidelibus competit ut iura quibus in Ecclesia gaudent legitimate defendant in foro ecclesiastico, et quidem via judiciali necnon, in casibus iure definitis, via administrativa, ad normam sacrorum canonum.

Canon 22

§ 1. Christifideles ius habent ut semper iudicentur a Tribunali quod in causa de qua agitur, ad normam iuris est competens, atque servato modo eodem iure definito.

§ 2. Attamen, ob primatum Summi Pontificis, integrum est cui libet fidei in toto orbe catholico causam suam sive contentiosam sive criminalem, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu, cognoscendam ad Apostolicam Sedem deferre vel apud eandem introducere.

§ 3. Fideles qui sive in processibus iudicariis sive in causis administrativis sunt partes, ius habent ut audiantur atque ut adiutorio gaudeant patroni libere ab ipsis electi aut, deficiente electione, ab officio ipsis dato.

§ 4. Fideles, contra quos sive via iudicaria sive via administrativa proceditur ratione denunciationis contra eos apud auctoritatem ecclesiasticam factae, ius habent ut sibi nomen denuntiantis communicetur.

§ 5. Christifideles contra quos ab auctoritate ecclesiastica fertur sententia aut decretum, ius habent cognoscendi rationes quibus decisio innititur.

§ 6. Nemo puniri potest nisi ob delicta, quae, iam tempore commissionis, poena determinata lege plectuntur (cfr. quoad § 2, *CIC*, can. 1569 § 1).

Canon 23

§ 1. Christifideles obligatione tenentur servandi ac promovendi iura quae hominibus ratione dignitatis humanae aut divinae ad salutem vocationis competunt, itemque tuendi et defendendi libertatem qua Ecclesia gaudet ut missionem sibi propriam adimplere valeat.

§ 2. Abstineant igitur fideles a participandis vel sustinendis actionibus quae dignitati personae humanae aut missione Ecclesiae detimento esse possint, et caveant ne ullam partem habeant in consociationibus aut conventibus, quorum operae bono Ecclesiae sint contrariae (cfr. quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 1, 6 et 14; Const. *Gaudium et spes*, nn. 26, 29, 42, 65, 68, 75; Decl. *Gravissimum educationis*, prooem. et n. 1. Quoad § 2: cfr. Decl. *Dignitatis humanae*, n. 14).

Canon 24

Omnis christifideles, doctrina Ecclesiae in re sociali innixi, iustiam inter homines populosque promoveant, atque operibus pietatis et caritatis christiana auxilium praestent, praesertim quibus efficax praebetur adiumentum iis qui in necessitate versantur (cfr. Const. *Gaudium et spes*, nn. 42 b, 88 b; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 8 c et f).

STATUTUM IURIDICUM LAICORUM

Canon 1

« In canonibus huius Codicis, nomine laicorum intelleguntur omnes christifideles, iis exceptis qui, ordine sacro recepto, ad ministerium divinum sunt deputati aut qui in Instituto ab Ecclesia sancito statum religiosum assumpserunt, christifideles scilicet, sive viri sive mulieres, qui in saeculo viventes et vitae saecularis consortes missionem Ecclesiae salvificam pro parte sua, etiam canonibus determinanda, exercent, videlicet vitam divinam Ecclesiae participantes, atque fidem quam a Deo per Ecclesiam receperunt verbo et opere confitentes ac propagantes, specialiter in rebus temporalibus gerendis et in munerialibus saecularibus exercendis Christi testimonium reddentes » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 31; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 7; Const. *Gaudium et spes*, n. 43).

Canon 2

« Ius est laicis ut ipsis agnoscatur ea in rebus civitatis terrenae libertas quae omnibus competit, iuxta legem divinam ab Ecclesiae magisterio declaratam » (cfr. Const. *Lumen gentium*, n. 37; Const. *Gaudium et spes*, n. 43; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 9; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24).

Canon 3

« § 1. Laici, ut secundum doctrinam a Christo revelatam et ab Ecclesia declaratam vivere valeant, eamque et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere possint, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque ca-

pacitati et condicioni aptatam. Quare curare debent ut cognitionem habeant doctrinae quam tota Ecclesia profitetur et quae a Conciliis oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particulatis Pastoribus traditur.

§ 2. Facultate quoque gaudent ut, servatis iure statutis, pleniorum illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

§ 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipient » (cfr., quoad § 1: Decl. *Dignitatis humanae*, nn. 14, 3º et 4º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 29; Decr. *Ad gentes*, n. 26; Const. *Lumen gentium*, n. 35 in fine; Const. *Gaudium et spes*, n. 43, 2º in fine. Quoad § 2: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decl. *Gravissimum educationis*, n. 10, 2º. Quoad § 3: Const. *Gaudium et spes*, n. 62, 7º; Decr. *Ad gentes*, n. 41, 5º).

Canon 4

« § 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i. e. ad participationem missionis salvificaee Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, adlaborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urget iis in adiunctis in quibus non nisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

§ 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

§ 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur » (cfr., quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33; Decr. *Ad gentes*, nn. 36, 1º et 21; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2 et 3; quoad § 2: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 3; Const. *Gaudium et spes*, n. 43; quoad § 3: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3º; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 10 et 24, 6º).

Canon 5

« § 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

§ 2. Habilis etiam sunt qui ad normas iuris idonei reperiantur ut ad illa munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, quibus secundum iuris universalis aut particularis praescripta fungi valent (cfr., quoad § 1: Const. *Lumen gentium*, n. 33; quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 33, 3º; Decr. *Christus Dominus*, n. 10; Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24, 7º).

Canon 6

« § 1. Ipsius baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifides, officium et ius habent ut plene, conscientie et actuose in celebracionibus liturgicis participant, atque facultate gaudent ut munericis ministrantis, lectoris, commentatoris, cantoris, aliisve certis ministeriis, ad normam iuris, fungantur.

§ 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia supplere, videlicet ministerium verbi exercere, precibus liturgicis praeses, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta (cfr., quoad § 1: Const. *Sacrosanctum Concilium*, nn. 14, 29, 79 in fine; quoad § 2: Const. *Lumen gentium*, n. 35 ult.; Decr. *Ad gentes*, n. 17 ult.; Const. *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, 4º).

Canon 7

« Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti, qui, ut permanenter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obligatione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite implementum requisitam, utque hoc munus conscientie, impense et diligenter adimplant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis, necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius ut suae praevidentiae ac praeventioniae sociali ad adsistentiae sanitariae quam dicunt debite provideatur » (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 22; Decr. *Ad gentes*, n. 17).

DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS

I

CANONES INTRODUCTORII

Canon 1

§ 1. In Ecclesia habentur consociationes distinctae a religionibus et societatibus de quibus in cann. [478-681], (necnon ab institutis saecularibus de quibus in can. ...), consociationes nempe in quibus christifideles, sive clerici sive laici, communi opera contendunt ad perfectiorem vitam christianam fovendam, aut ad cultum publicum vel doctrinam christianam promovendam, aut ad alia apostolatus opera, scilicet ad evangelisationis incepta, ad ordinem temporalem spiritu christiano animandum, ad pietatis vel caritatis opera exercenda.

§ 2. Iis praesertim sua nomina dent christifideles consociationibus, quae pro tempore et re maiorem praebeant utilitatem, quaeque a competenti auctoritate ecclesiastica aut erectae aut laudatae vel commendatae sint (cfr. inter alia, quoad § 1: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19; Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8; Decr. *Christus Dominus*, n. 17. Quoad § 2: Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 21).

Canon 2

§ 1. Integrum est christifidelibus, sive clericis sive laicis, privata inter se conventione inita, consociationes constituere ad pietatem excolendam vel ad apostolatus opera exsequenda, aliosve fines spirituales de quibus in can. 1 § 1 persequendos, salvo tamen can. 3 § 1.

§ 2. Consociationes quas libera pactione inter se inita christifideles sive clerici sive laici, ad fines spirituales constituant, etiamsi ab auctoritate ecclesiastica laudentur vel commendentur, consociationes privatae vocantur.

§ 3. Nulla consociatio nomen «catholica» sibi assumat nisi de consensu auctoritatis ecclesiasticae competentis, ad normam can. 19 (cfr. inter alia: Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 18, 19, 24; Decr. *Christus Dominus*, n. 17; S. C. Concilii, Decr. in causa *Corrienten.*, 13 nov. 1920: *A.A.S.*, 13 [1921], p. 135 ss.).

Canon 3

§ 1. Unius auctoritatis ecclesiasticae competentis est erigere christifidelium consociationes quae sibi proponunt declarationem doctrinae christianaee eiusve traditionem nomine Ecclesiae aut cultus publici ordinationem, quaeve alios intendunt fines spirituales quorum persecutio natura sua eidem auctoritati ecclesiasticae reservatur.

§ 2. Auctoritas ecclesiastica competens, si id expedire iudicaverit, christifidelium consociationes quoque erigere potest ad alios fines spirituales directe vel indirecte prosequendos, quorum procurationi privatorum inceptis non satis provisum sit.

§ 3. Christifidelium consociationes quae a competenti auctoritate ecclesiastica eriguntur consociationes publicae vocantur (cfr. quoad § 3 Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24).

II

NORMAE COMMUNES OMNIBUS CHRISTIFIDELIUM
CONSOCIATIONIBUS*Canon 4*

§ 1. Omnes christifidelium consociationes, sive publicae, sive privatae, quocumque titulo seu nomine vocentur, sua habeant statuta, quibus definiuntur consociationis finis seu obiectum sociale, sedes, regimen et conditiones ad partem in iisdem habendam requisitae, quibusque determinantur, attentis quidem temporis et loci necessitate vel utilitate, agendi rationes.

§ 2. Titulum seu nomen sibi eligant, temporis et loci usibus accommodatum, maxime ab ipso spirituali fine quem intendunt selectum.

Canon 5

§ 1. Omnes christifidelium consociationes subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae ad normam § 2 competentis, cuius est curare ut in iisdem integritas fidei ac morum servetur, et advigilare ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant, cuique itaque ad normam iuris communis et particularis easdem invisendi officium competit et ius; subsunt etiam eiusdem auctoritatis regimini secundum praescripta cannonum qui sequuntur.

§ 2. Vigilantiae et regimini unius Sanctae Sedis subsunt consociationes de iure universales atque consociationum foederationes universales; Episcoporum Conferentiarum in quarum territorio existunt, consociationes internationales quae de iure ad certas regiones ecclesiasticas limitantur; Episcoporum Conferentiae regionis, consociationes regionales; loci Ordinario, consociationes dioecesanae necnon, iuxta statuta uniuscuiusque consociationis, sectiones dioecesanae consociationum universalium, internationalium, regionalium vel interdioecesarum.

§ 3. Consociationes quae ad normam can. 19 § 1 erectae sunt a Sancta Sede vel quae vi privilegii apostolici ab instituto exempto constituae sunt, Ordinario loci non competit visitare quod attinet ad ea quae internam consociationis disciplinam spectant.

Canon 6

Ut quis consociationis iuribus atque privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus eidem consociationi concessis fruatur, necesse est et sufficit ut secundum iuris praescripta et propria consociationis statuta sit in eadem valide receptus et non ab eadem legitime dimissus.

Canon 7

§ 1. Membrorum receptio fiat ad normam iuris ac statutorum uniuscuiusque consociationis.

§ 2. Eadem persona adscribi potest pluribus consociationibus.

§ 3. Non catholici adscribi possunt christifidelium consociationibus, nisi iudicio auctoritatis de qua in can. 5 § 2 id fieri non possit sine detimento actionis consociationi propriae aut exinde oriatur periculum ne catholicorum fides in discrimen vocetur (cfr. quoad § 3 Decr. *Ad gentes*, n. 15; Decr. *Unitatis redintegratio*, n. 12).

Canon 8

Nemo legitime adscriptus a consociatione dimittatur, nisi iusta de causa ad normam iuris et statutorum (cfr. can. 696 § 1 hodierni Codicis).

Canon 9

Consociationibus legitime constitutis ius est, ad normam sacrorum canonum et statutorum, edendi particulares normas ipsam con-

sociationem respicientes, celebrandi comitia, eligendi officiales et ministros atque bonorum administratores (cfr. can. 697 § 1 hodierni Codicis).

Canon 10

§ 1. Omnis consociatio quae ad normam can. (100) persona iuridica donatur, subiectum est capax obligationum et iurium quae eius naturae personae iuridicae congruunt, atque bona possidere et acquirere potest ad fines consociationis directe vel indirecte persequendos.

§ 2. Consociatio privata quae persona iuridica non donatur, quia talis subiectum non esse potest obligationum et iurium; christifideles tamen in ea consociati coniunctim obligationes contrahere atque uti compostossores iura et bona possidere et acquirere possunt; quae iura et obligationes per mandatarium seu procuratorem exercere valent.

Canon 11

§ 1. Potest christifidelium consociatio oblationes recipere ad fines consociationis persequendos, et recepta erogare ad ipsius consociationis usus, salva semper offerentium voluntate.

§ 2. Nulli consociationi licet eleemosynas colligere, nisi id aut statuta permittant aut necessitas postulet, et consensus accedat Ordinariorum locorum in quibus consociatio eleemosynas colligere intendat, atque servetur forma ab iisdem praescripta (cfr. can. 691 §§ 2, 3 et 5 hodierni Codicis).

Canon 12

Religiosi qui consociationibus vi privilegii apostolici erectis praesunt, current ut eadem consociationes operibus apostolatus in dioecesi exsistentibus adiutorium praebeant, cooperantes praesertim, sub directione Episcopi diocesani, cum consociationibus quae ad apostolatum in dioecesi exercendum ordinantur.

Canon 13

(Salvo praescripto can. 704). Religiosi quoque possunt christifidelium consociationibus nomen dare, iis exceptis quarum statuta et actiones, iudicio Superioris competentis, cum observantia regulae et constitutionum aut cum adimplemento muneris, ipsis a Superiore concreti, conciliari nequeunt (cfr. can. 693 § 4 C.I.C.).

III

NORMAE SPECIALES PRO CHRISTIFIDELIBUS QUI CLERICI SINT

Canon 14

§ 1. Magni habeant clerici saeculares illas praesertim consociationes quae, statutis a competenti auctoritate recognitis, per aptam et convenienter approbatam vitae ordinationem et fraternum iuvamen, sanctitatem suam in ministerii exercitio fovent quaeque clericorum inter se et cum proprio Episcopo unioni favent.

§ 2. Illis tantum consociationibus presbyterorum dent nomen, quibus indoles propria cleri saecularis servetur, quarumque statutis debite caveatur ut omni personarum acceptione seclusa, concordia inter omnia presbyterii Ecclesiae particularis membra plene promoveatur (cfr. quoad § 1: Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 8; Quoad § 2: Schema « De fidelium associationibus », praepar. Conc. Oec. Vat. II).

Canon 15

Clerici abstineant a constituendis aut participandis consociationibus quarum finis aut actio propria cum obligationibus statui clericali propriis componi non valent aut diligentem munera ipsis ab auctoritate ecclesiastica competenti commissi adimplectionem praepedire possunt (cfr. Decr. *Presbyterorum Ordinis*, n. 15).

IV

NORMAE SPECIALES PRO LAICORUM CONSOCIATIONIBUS

Canon 16

Christifideles laici, quippe qui baptismate missionis Populi Dei participes effecti et ipsi ad apostolatum ab ipso Domino deputentur, magni faciant consociationes ad spirituales fines de quibus in can. 1 constitutas, eas in specie quae rerum temporalium ordinem spiritu christiano animare intendunt quaeque ita intimorem inter fidem suam

et vitam proprii status unionem magnopere fovent (cfr. Const. dogm. *Lumen gentium*, n. 31; Const. past. *Gaudium et spes*, n. 43; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 2-19).

Canon 17

§ 1. Curent laici ut incepitis quae in consociationibus suscipiunt, quantum possibile sit, clericis in variis ministerii pastoralis muneribus explendis adiutorio sint.

§ 2. Qui praesunt consociationibus christifidelium, etiam earum quae vi privilegii apostolici erectae sunt, curent etiam ut consociationes quas constituunt aut participant cum aliis christifidelium consociationibus, quibuscum expediatur, cooperentur utque variis operibus christianis, praesertim in eodem territorio exsistentibus, libenter auxilio sint.

Canon 18

Qui praesunt consociationibus laicorum curent ut membra consociationis ad apostolatum laicis proprium exercendum debite efformentur (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 30).

V

NORMAE DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS PUBLICIS

Canon 19

§ 1. Auctoritas competens ad erigendas christifidelium consociationes publicas de iure universales atque consociationum publicarum confoederations internationales, est Sancta Sedes; ad erigendas consociationes publicas regionales et confoederations consociationum publicarum regionales est Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis, pro suo cuiusque territorio; ad erigendas consociationes dioecesanas est, pro suo cuiusque territorio, Episcopus dioecesanus atque qui eidem iure aequiparantur, non vero Vicarius capitularis, neque Vicarius generalis aut Vicarius episcopalis sine speciali mandato; iis tamen consociationibus exceptis, quarum erigendarum ius apostolico ex privilegio aliis reservatum est.

§ 2. Licet privilegium concessum probetur, semper tamen, nisi aliud in ipso privilegio cautum sit, ad validam erectionem consociationis aut sectionis consociationis in dioecesi, requiritur consensus Episcopi dioecesani scripto datus; consensus tamen ab Episcopo dioecesano praestitus pro erectione domus instituti religiosi etiam valet ad erigendam in eadem domo vel ecclesia ei adnexa, consociationem quae illius instituti religiosi sit propria.

§ 3. Nulla sectio consociationis universalis vel regionalis in aliqua dioecesi erigi potest, nisi accedat consensus Episcopi dioecesani scripto datus.

Canon 20

Consociatio publica itemque consociationum publicarum confederatio, ipso decreto quo ab auctoritate ecclesiastica ad normam can. 19 competenti erigitur, personam iuridicam publicam acquirit.

Canon 21

Consociatio publica legitime erecta ipso erectionis decreto, ab auctoritate ecclesiastica mandatum et missionem, quatenus requiritur, recipit ad fines quos sibi proponit nomine ecclesiasticae auctoritatis persequendos (cfr. inter alia, Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 20 et 24).

Canon 22

Cuiuslibet consociationis publicae statuta, eorumque recognitio vel mutatio, approbatione indigent auctoritatis ecclesiasticae ad consociationis erectionem ad normam can. 19 § 1 competentis.

Canon 23

Consociationes publicae incepta propriae indoli congrua sua sponte suscipere valent atque reguntur et administrantur ad normam statutorum, sub superiori tamen directione auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 19, § 1 (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 24 § 4).

Canon 24

§ 1. In consociatione publica recipi possunt qui conditiones implet iure et statutis consociationis definitas.

§ 2. Qui vero christifideles censura aliqua notorie irretiti sint aut publici peccatores, valide in consociatione ecclesiastica recipi non possunt.

§ 3. Qui legitime adscripti in casum inciderint de quo in § 2, praemissa monitione, a consociatione dimittantur, servatis propriis statutis et salvo iure recursus ad auctoritatem ecclesiasticam de qua in can. 19 § 1.

Canon 25

§ 1. Ipsius auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 19 § 1, est, ad normam statutorum, consociationis publicae moderatorem nominare, aut a consociatione praesentatum vel electum confirmare; cappellanum vero seu adsistentem ecclesiasticum, auditis ubi id expediat consociationis officialibus maioribus, nominat eadem auctoritas ecclesiastica.

§ 2. Norma in § 1 statuta valet etiam de consociationibus a religiosis vi apostolici privilegii extra proprias ecclesias vel domus erectis; in consociationibus vero a religiosis in propria ecclesia vel domo erectis, nominatio aut confirmatio moderatoris et cappellani pertinet ad Superiorem religiosum, ad normam statutorum.

§ 3. In specialibus adiunctis, ubi graves rationes id requirant, potest ecclesiastica auctoritas de qua in can. 19, § 1 designare commissarium qui eius nomine consociationem ad tempus moderetur.

§ 4. Salvo iure recursus, moderatorem consociationis publicae iusta de causa removere possunt qui eum nominavit aut confirmavit eorumque successores et superiores, auditis tamen tum ipso moderatore tum consociationis officialibus maioribus ad normam statutorum; cappellanum vero removere possunt ad normam can. (de officiis ecclesiasticis), qui eum nominavit eiusque successores et superiores.

§ 5. In consociationibus publicis laici munus exercere valent moderatoris; cappellanus seu adsistens ecclesiasticus ad illud munus ne assumatur, nisi aliud in statutis caveatur.

§ 6. In consociationibus christifidelium publicis quae directe ad apostolatum exercendum ordinantur, moderatores ne sint qui in facti- nibus politicis officium directionis adimplent (cfr. quoad § 5 Decr. *Apostolicam actuositatem*, n. 19; quoad § 6 Const. past. *Gaudium et spes*, n. 76).

Canon 26

§ 1. Consociatio publica legitime erecta, nisi aliud cautum sit, bona quae possidet ad normam statutorum administrat sub superiori directione auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 19 § 1, cui quotannis administrationis rationem reddere debet ad normam can. ... (1525 hodierni Codicis).

§ 2. Oblationum quoque et eleemosynarum quas collegerit, eidem auctoritati fidelem erogationis rationem reddere debet.

Canon 27

§ 1. Consociationes a Sancta Sede erectae nonnisi ab eadem supprimi possunt, salvo recursu ad normam can. ... (de recursu ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae).

§ 2. Ob graves causas, et salvo recursu ad Sanctam Sedem, ab Episcoporum Conferentiis supprimi possunt consociationes ab iisdem erectae; a loci Ordinario consociationes a se vel a decessoribus suis erectae, et etiam consociationes ex apostolico indulto a religiosis erectae de consensu Ordinarii loci.

§ 3. Consociatio publica ab auctoritate competenti ne supprimatur, nisi auditis eius officialibus maioribus.

Canon 28 (novus)

Suppressa aut alia ratione extincta consociatione publica, eiusdem bona, nisi earum destinatio in statutis praevisa sit, in dominium deferuntur personae iuridicae ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum vel donatorum voluntate necnon iuribus quae-sitis.

VI**NORMAE DE CHRISTIFIDELIUM
CONSOCIATIONIBUS PRIVATIS****Canon 29**

Consociationes privatas, quas scilicet ad fines spirituales consequendos legitime ad normam can. 2 libera inter se pactione inita constituunt christifideles, etiam quae ab auctoritate ecclesiastica laudantur vel commendantur, iidesm christifideles, secundum statutorum libere conditorum praescripta, dirigunt ac moderantur (cfr. Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 19 et 24).

Canon 30

§ 1. Consociationes christifidelium privatae personam iuridicam privatam acquirere possunt per decretum formale auctoritatis ecclesiasticae competentis ad normam can. ... (est novus canon post normam hodierni can. 100 ponendus).

§ 2. Nulla christifidelium consociatio privata personam iuridicam acquirere potest, nisi cuius statuta ab auctoritate ecclesiastica de qua in can. 19 § 1 sint recognita; statutorum vero recognitio non immutat consociationis naturam privatam.

§ 3. Iura et bona quae consociationes christifidelium privatae persona iuridica donatae possident non sunt bona ecclesiastica, sed privata.

Canon 31

§ 1. Licet christifidelium consociationes privatae in regimine consociationis autonomia gaudeant ad normam can. 28, subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae ad normam can. 5, itemque eiusdem auctoritatis regimini, eadem ratione eodem modo quo eidem subiiciuntur fideles singuli; eiusdem auctoritatis in specie est abusus, si qui in disciplinam ecclesiasticam irrepserint, corrigere.

§ 2. Eiusdem auctoritatis ecclesiasticae etiam est, servata quidem autonomia consociationibus privatis propria, advigilare et curare ut, quantum possit, virium dispersio vitetur atque in concordem actionem

diversae consociationes ordinentur, ad maius incrementum communis utilitatis (cfr. quoad § 2: Const. dogm. *Lumen gentium*, nn. 9 et 32; Decr. *Christus Dominus*, n. 17; Decr. *Apostolicam actuositatem*, nn. 3 et 19).

Canon 32

§ 1. Christifidelium consociatio privata libere sibi moderatorem et officiales nominat, ad normam statutorum.

§ 2. Christifidelium consociatio privata consiliarium spiritualem, si quendam exoptet, libere sibi eligere potest inter sacerdotes ministerium legitime in dioecesi exercentes; Ordinarius loci tamen iusta de causa consociationem invitare potest ut alium eligat (cfr. S. C. Concilii, Resol. *Bononien.*, 15 maii 1728; S. C. Episc. et Regul., Resol. 29 iulii 1870).

Canon 33

§ 1. Christifidelium consociatio privata ea quae ad normam can. 10 possidet bona libere administrat, iuxta statutorum praescripta.

§ 2. Loci Ordinarii auctoritati ad normam can. ... (1515 actualis Codicis) subsunt ad administrationem erogationemque quod attinet bonorum quae sibi ad pias causas donata aut relictia sunt.

Canon 34

Extinguitur christifidelium consociatio privata ad normam iuris et statutorum; destinatio bonorum consociationis extintae ab ipsis statutis determinanda est, servato tamen c. 33 § 2.